

quid probari possit testimonio divino. Non tamen hæ demonstrationes, quæ pro medio habent testimonium divinum, sunt syllogismi apodictici; sed dictici.

3 *Propositiones demonstrationis debent esse necessario vera, immediata & causæ conclusionis.*

Propositio-  
nes demon-  
strationis  
quæ debeât  
esse compa-  
ratæ?

Videamus singula. Sint primò *necessario vera*, juxta tres necessitatis gradus, κατὰ παντός, καὶ αὐτῶ, καὶ τόλῃ πρῶτον. Nam quod debet gignere cognitionem certam, id necessario verum sit oportet. Deinde sint *immediata*, seu primæ & indemonstrabiles, hoc est, quarum prædicatum inhæreat subjecto, non mediante alio aliquo subjecto, cui primò insit, aut aliquâ intercedente causâ, propter quam prædicatum insit subjecto. Est igitur hîc immedietas duplex. Aliæ enim propositiones sunt *immediatæ ex parte subjecti*, quarum prædicatum convenit subjecto, non mediante alio subjecto: v.g. homini convenit τὸ sentire mediatè, mediante scilicet animali; animali verò *immediatè & primò*. Aliæ verò sunt *immediatæ ex parte causæ*, quarum non potest assignari causa: ut, triangulum habet tres angulos, homo est rationalis. Harum enim propositionum prædicata ita arctè cohærent cum subjectis, ut non possint ullo interjecto medio resolvi & demonstrari. Denique sint *causæ conclusionis*: non tantùm causæ consecutionis seu consequentiæ conclusionis (hoc enim fit in omni syllogismo, ut diximus suprâ ad definitionem syllogismi) sed causæ tum affectionis, seu prædicati conclusionis, tum cognitionis, seu causæ cognoscendi conclusionem. Hoc utrumque erit, si propositiones demonstrationis sint priores & notiores conclusione tum naturâ, tum nobis. Hoc quæ fieri possit, acutè ostendit doctissimus *Molinaus lib. 2. Logic. cap. 2.*

4 *Medium demonstrationis est triplex; definitio accidentis proprii, causa proxima affectionis, & effectum proprium atque immediatum.*

Mediū de-  
monstratio-  
nis est tri-  
plex.

Duo quidem priora media locum habent in demonstratione perfectâ, ultimum in imperfectâ. Explicemus singula. Definitio accidentis proprii tribus constat partibus; genere, subjecto, & causâ; & demonstratio constat totidem parti-

F f